



23

24

Q. D. B. V.
SCEDIASMA
DE
QVIBVS DAM
PRAEIVDICIIS MEDICIS,

PRAESIDE,
IOANNE ADAMO KVLMO,

MED. D. EIVSD. VT ET PHIL. NAT. PROF. PVBL. ORD. NEQUE
MINVS ACAD. IMPER. NAT. CYRIOS. SODAL.

FAVTORE, PRAECEPTORE,

INTIMO PECTORE COLENDO,

DEFENDET AVCTOR,

PAVLL. HENR. GERARD. MOEHRING, Jev. Friso,
PHIL. ET MED. CVLT.

GEDANI,

IN AVDITORIO ORDINARIO

A. MDCCXXXII. D. XXI. MART. HORA IX.

P. 5251



AERE SCHREIBERIANO.

655
SCHLESWIGEN

PRAEVIDICIS MEDICIS
GALDASDAM
LUDVICO LAMM
PETRON.

Hoc amo, quod possum,
qua libet ire via.

VIROS,
MAGNIFICVM, MAXVME REVE-
RENDVM,
DN. IOACHIMVM
WEICKHMANVM,
DOCTOREM THEOLOGVM, MINISTERII GEDA-
NENSIS I. A. C. SENIOREM, NEC NON
AD B. M. V. AEDEM PASTOREM
PRIMARIVM,
EXCELLENTISSIMVM, EXPERIEN-
TISSIMVM, DOMINVM
IOANNEM ADAMVM
KVLMVM,

MEDICINAE ET CHIRVRGIAE DOCTOREM, ARTIS
SALVTARIS AC PHILOSOPHIAE NATVRALIS PRO-
FESSOREM IN ATHENAEO GEDANensi PUBLICVM,
NEQVE MINVS ACADEMiae IMPERIALIS LEOPOL-
DINO-CARCLINAE NATVRAE CVRIOSORVM
SODALEM, DICTVM PHILVMENVM,

PLVRIMVM REVERENDOS,
DN. GOTTLIEB RICH-
TERVM,

AD S. IOANNIS TEMPLVM DIACONVM,

D O M I N U M
BARTHOLOMAEVM
HAVCKIVM,

AD D. LAZARI XENODOCHIVM V. D. MINISTRVM,

C L A R I S S I M U M , D O C T I S S I M U M ,
DN. DANIELEM KOL-
BIVM,

AD B. M. V. SCHOLAM RECTOREM,

Fautores, Euēgyēlas, tenerrime deuenerandos,

Archiate summus sospites, incolumes
ab omni fortuna aduersa conser-
uet. Precatur
AVCTOR.



PRAEIVDICIVM I.

quo,

operationes chirurgicas Medico & Chirurgo non esse necessarias, refellitur.

DEFINITIO I.

§. 1. **M**edicus est corporis humani, rerumque salubrium & infalubrium indagator, qui conuenientibus mediis hominis vitam & sanitatem integrum conseruare, hancque quoquis modo amissam instaurare nititur.

DEFINITIO II.

§. 2. **C**hirurgus est, qui externis mediis, aut manuum ac instrumentorum beneficio valetudinem hominum praesentem conseruare, eique, & in primis partibus corporis externis laevis operm posibilem ferre conatur.

SCHOLION.

§. 3. Ex hac definitione (§. 2.) patet, **C**hirurgum (*non autem tonsorem*) esse pariter Medicum, quia uesterque *idem agnoscit obiectum*. *Eius tamen officium certis est limitibus circumscriptum*, ut dum taxat vel externe corpori medelas adplicet, vel instrumentis membra, vario modo laesa, aut ad pristinum statum reducat, aut eadem nimis corrupta ac inutilia, ut reliquum corpus seruetur, remoueat. Medicina per-

ro, quatenus ea sanitatem quoquis modo amissam restituit (§. 1.) adeo que quibuscumque corporis vitiis proficit, simul complectitur Chirurgiam: quale Medicinae & Chirurgiae connubium olim per plura saecula feliciter viguit. Interim causam Medicis hodiernis aliqualem vicaria Chirurgorum suppositio dicere forte posset.

COROLLARIVM I.

§. 4. Chirurgia est pars Medicinae.

COROLLARIVM II.

§. 5. Medicus, Chirurgiae imperitus, perfectus Medicus dici haut meretur.

DEFINITIO III.

§. 6. Operationes Chirurgicae sunt eiusmodi actiones, quae debita dexteritate, manuum ac instrumentorum ope, in homine ad sanitatem vel conseruandam, vel recuperandam impenduntur.

SCHOLION.

§. 7. Paucæ saltim operationes chirurgicae in statu hominis incolumi, præservationis causa, sunt, v. gr. venæ sectio, scarificatio, &c. Plurimas, easque difficiliores, morbi exposcent.

PROPOSITIO I.

§. 8. Operationes chirurgicae & Medicum, & Chirurgum ornant, eorumdemque scientiam adaugent. Ergo ab ipsis sunt excolendae, pertractandae.

DEMONSTRATIO.

Quum Medicus sanitati hominum tam integræ, quam amissæ, conuenientibus mediis prospiciat (§. 1.); operationes autem chirurgicae eiusmodi sint media conuenientia, quæ quandoque præsulatorio & curatorio scopo usurpantur (§. 6.), propterea illarum administræ

ministratio Medicum adornat, earumque cognitio illius scientiam adauget, praesertim quum Chirurgia sit pars scientiae Medicae (§. 4.): adeoque operationes chirurgicae a Medico minime negligendae, sed excolendae ac pertractandae sunt. *Q. e. prius.*

Chirurgus externis mediis ac instrumentorum ope suo fungitur officio (§. 2.); ast operationes chirurgicae peraguntur ope instrumentorum. Hinc Chirurgus, rite comparatus & officio suo satisfactus, operationibus carere nequit. Quare propositio in aprico versatur. *Q. e. posterius.*

SCHOLION.

§. 9. Fallunt igitur & falluntur, quicumque nimiae adrogantiae (potius pigritiae) aculeo tacti, operationes chirurgicas agyrtis, nullius conscientiae hominibus, attribuunt. *Quis, queso, opprobrio sibi vendicabit Medicus, morbum quemuis quocumque medio profligare, si modo potest?* quare nec per operationes chirurgicas, eo magis, si Chirurgi barum sint ignari? quis sane Chirurgus venae sectio-nem expeditam, repulsabit? nonne ergo & ceterae operationes ei-dem mortalium emolumento inseruiunt, ac venae sectio? num vrinac adjectus, nec non bariolatio ex ea, Medico indigna? num emplastrorum malaxatio, ut barbara utar voce, Chirурgo inboneſta? Certissimum me confiteor, eum aut Medicum, aut Chirurgum, qui vel laborem necessarium metuit, vel receptae consuetudini nimium morem gerit, hinc ultra sapere recusat, praeiudiciorum morbo laborare, adeoque ipsum curationis ἀογυνης egere. Ad minimum quilibet Medicus hodiernus operationum theoriam rite perspectam habere debet; Chirurgi autem earum praxin omnino exercere tenentur, secus ipsos non competit definitio (§. 2.), ergo nec definitum: inde potiori iure ab arte, quam exercere malunt, puri puti adpellandi erunt tonsores.

PRAE-

PRAEIUDICUM II.

quod
communi contentui Anatomes
caussam dicit.

DEFINITIO IV.

§. 10. *Anatome* est scientia, quae cognitionem adaequatam de structura corporis organici, eiusque partium essentialia, figura, connexione, situ ac vsu tradit.

SCHOLION.

§. 11. *Dubium forsitan nonnullis crearet adaequata* (WOLF. Log. min. §. 16.) *cognitio anatomica*, in hac definitione (§. 10.) *desiderata*. *quum variarum partium in corpore humano fabrica* & *vsus verus adhuc lateant*. *Sed melius est*, *summum Anatomes* *gradum definire*, *ac ponere id fastigium*, *quod hic vel ille Anatomicus* *stadium metatus est*. *Sic enim quilibet ad plura inuenienda incitat*, *metaque superbis figitur*, *ne de notitia sua glorientur*. *Confer*, *quae Celeberr. WOLFIVS in proleg. ad Logic. min. §. 8. 9.* *dixit*, *& fiat applicatio*.

PROPOSITIO II.

§. 12. *Maximum Anatome Medico aequo*, *ac Chirurgo* *commodum vsumque largitur*.

DEMONSTRATIO.

Quemuis Medicum Therapeuticam perspectam habere debere,
nec nullus inficias ibit. *Quoniam vero ea circa hominem aegrum*
fanandum occupata est, *Pathologiae & Physiologiae canones adhibendi a Medico sunt*. *Pathologia considerat corporis humani morbos*

bos in genere, eorumque caussas ac symptomata & fundamenta quaerit ex Physiologia, quae per corpus humanum sanum fieri possunt, tractante. Haec vero sibi comparare nec ullus valet, nisi cui corporis humani fabrica ante cognita sit. Nunc recordamini, quomodo Scientia haec addiscatur? profecto per solam Anatomen, vi definitionis datae (§. 10.) Patet ergo propositionis membrum prius.

Chirurgia instrumentis opus habet (§. 2.). Ut ergo eadem scite & sine noxa usurpentur partique laesae debite adplicantur, requiritur, partium corporis humani omnium optime ut gnarus sit Chirurgus, ne plus noceat, quam prospicit. Id vero efficitur per Anatomen, vi demonstrat, & §. 10. Probatum igitur videtis membrum propositionis posteriorius.

SCHOLION I.

§. 13. Exemplis datis ad praeced. Demonstr. membr. poster. (§. 12.) res clarior adhuc evadet. Perpendite, si fonticulus a Chirurgio ponendus, ille autem sium muscularum eorumdemque connectionem, tendines, nervos, vasa sanguifera, &c. in parte data ignoret, quanam noxa exin oriri queat; si quis venae sectionem instituit, & incactus vel nervum, vel tendinem laedit, quodnam ex illa incuria damnum resultare possit. Ne dicam de vulnerum lesiono, luxatione, ossium fracturis, cistotomia, amputatione, &c.: hic enim adeo manifestus est usus, ut ne ullus quidem iure negare queat, exquisitissimam ibidem impendendam Anatomes peritiam.

COROLLARIVM.

§. 14. Chirurgus aequo, ac Medicus scientiae anatomicae Probe periti esse debent.

SCHOLION II.

§. 15. Multi sane dantur homines, qui non omnes modo Anatomes sectiones inutiles opinantur, verum etiam per multis irrationalibus cauillationibus easdem illudunt. Validissima quidem & industria ratiocinia contra illos, nisi iam adlata (§. 12.) abunde sufficienter, adduci

B



*adduci possent: Sed minima haut curat praetor. Flocci eiusmodi fri-
uolae nugae babenda. Confutauit eos omnium optime Celeberr.
D. D. TREVV. in Tract. von der Vertheidigung der Anat-
omie, Norimb. 1729. 4. Vid. quoque FRED. HOFFMANNI
Diff. de Anat. publica, Cap I. & V. II. I. GE. KVLPIS. Tr.
de Iure circa cadauera punitorum, cap. V.*

PRAEIVDICIVM III.

quo,
artem obstetricandi solis mulierculis relin-
quendam esse, vulgo creditur.

DEFINITIO V.

§. 16. *Obstetricatio est manualis operatio, debita dex-
teritate eum in finem instituta, ut fetus feliciori partu exclu-
datur, atque dein mater, in pristinam integritatem restitu-
tur.*

PROPOSITIO III.

§. 17. *Obstetricum actio est operatio chirurgica: hinc
ars obstetricandi est pars Chirurgiae.*

DEMONSTRATIO.

*Operatio chirurgica est actio, quae debita dexteritate, ma-
nuum ope, ad sanitatem hominis perficitur (§. 6.). Obstetricatio
pariter est manualis, ad sanitatem hominum instituta, operatio (§. 16.).
Ergo propositionis huius membrum priuia luce meridiana clarissima est.*

*Quum operationes chirurgicae scientiam chirurgicam adau-
geant (§. 8.), & obstetricum actio sit operatio chirurgica, vi demonstra-
fic etiam haec Chirurgiam auger eiusque pars merito dicenda est.
Q. e. d.*

COROL-

COROLLARIUM.

§. 18. Chirurgus scientiae Anatomicae probe peritus esse debet (§. 14.). Ars obstetricandi est pars chirurgiae (§. 17.). Ergo ad feliciorem fetus in partu exclusionem utique requiritur uterī partumque corporis vicinarum cognitio Anatomica.

PROPOSITIO IV.

§. 19. Artem obstetricandi Medicus haut superficiarie doctus atque Chirurgus, in arte sua peritus, scientifice cognitam habent.

DEMONSTRATIO.

Etenim ars obstetricandi est pars Chirurgiae (§. 17.); ast Medicina simul complectitur Chirurgiam (§. 3.): Medicus igitur haut superficiarie doctus utraque scientia probe imbutus est, quare etiam artem obstetricandi scientifice perspectam habet: cognito enim toto, cognoscitur etiam pars. Ex Ontol. Liquet hinc prius membrum.

Quum ars obstetricandi ad Chirurgiam adtineat (§. 17.): Chirurgus, arte sua peritus, etiam hanc suae scientiae partem, vi dicitur (§. 2.) optime perspectam habet. Q. e. d.

SCHOLION.

§. 20. Dolendum profecto, in arte bac mulierculas, saepe percoribus rudiores, cumdem obtinere locum, quem circulatores, οχλαγωγοι in operationibus chirurgicis, quin immo in diversa arte salutari occuparunt. Perpendat saltim quiuis secum, qua ratione obstetrices iliae, anatomica scientiam nequaquam instructae, commode effectum debitum praestare possint (§. 17.). Partes enim corporis, quas quotidie manibus palpant, numquam oculis lustrarunt. Num ne nubem saepius pro Iunone amplectuntur, praescritim in casu difficulti? Inde etiam tot peruersa mala contingunt, quoniam nil, nisi quae mera experientia fallax, dubia, sine necessariis regulis & circumstantiis col-

lecta, neque minus traditiones magistrarum suarum iis dictitarunt, facere intelligunt. Admodum laudabile in salutem ac solamen misericordiarum puerpararum constituit Potentiss. Borussiae Rex, ut obstetrices prius a peritis in hac arte Medicis instruantur, donec periculosis huiusce laboris, examine debito praenio, capaces sese fiant.

PROPOSITIO V.

§. 21. *Medici, atque Chirurgi feliciori cum successu, quam mulierculae, artem obstetricandi exercere valent,*

DEMONSTRATIO.

Medici atque Chirurgi scientiae anatomicae, ad partum necessariae (§. 18.), probe periti esse debent (§. 14.); praeterea artem obstetricandi optume, & scientifice perspectam habent (§. 19.) verum obstetrics scientiae anatomicae nequaquam sunt instructae (§. 20.); nec artem obstetricandi scientifice, ut Chirurgi, sed saltim conjecturaliter, per experientiam fallacem, & a mulierculis, magistris suis, traditam, didicerunt (*loc. citat.*). Maxime autem cognitio scientifica conjecturali anteponenda est. *Ex principio Logie.* Quapropter propositionis huius veritas luculenter innotescit. Q.e.d.

PROPOSITIO VI.

§. 22. *Consultius in quois partu admitteretur Medicus, aut Chirurgus. Ad minimum in partu difficiili aut alterius, aut uterque aduocari deberet.*

DEMONSTRATIO.

Siquidem Medicus atque Chirurgus, arte obstetricandi scientifice imbuti, eamdem feliciori cum successu, quam mulierculae, exercere valent (§. 21.). Ideo consultius agerent puerperae parturientes multoque minori periculo essent expositae, si in ambiguo isto

isto statu illis, utpote sagacioribus, se committerent (α). Id quod membrum prius concernit.

Deinde quum partus difficilis potissimum solidam cognitionem anatomican exposcat, qua mulierculae destituuntur (§. 20), & quandoque fetus mortuus per operationes chirurgicas, solis Medicis ac Chirurgis cognitas, extrahendus sit, ut ad minimum mater viua seruetur: omnino in partu difficulti Medicus aut Chirurgus aduocari debet. *Q. e. d.*

COROLLARIVM.

§. 23. Quam ob rem ars obstetricandi solis mulierculis relinquenda non est.

SCHOLION.

§. 24. Anxia quidem parturientium reformidatio virorum in partu adcessum denegat: ast vana haec est pudoris meticulositas, cum vitae periculo saepe coniuncta. Consuetudo, peruersae superstitionis secunda parens, morem hunc induxit aliquique inducere valet, vti Gallorum, Anglorum, Batauorum laudabiles & salutares sonatus abunde comprobant. Quorum Medici & Chirurgi obstetricandi munere, felicissimo cum successu, funguntur, abrogato iam parturientium vesano timore. Quales operatores obstetricantes (Gallis Acoucheurs) etiam in Germania, Lipsiae, Stugardiae & alibi, in primis Argentorati, prouida Illustris Senatus cura, receperunt sunt. Vid. Commerc. Litter. Norimb. 1731. Semestr. poster. p. 321. 333. lqq.

B 3

PRAE-

(α) Exempla haec de re passim in libris, ab eiusmodi operatoribus editis, occurunt. Solidissima testimonia *Commerc. Litter. Phys. Techn. Med. Norimb. A. 1731.* exhibet. Sie p. 252. D. D. GE. FR. GUTERMANNI de fetu mortuo, *bracebium dextrum in partu anteuentente, it.* Eiusd. de fetu septem mensum autochire, nec non Chirurgi iurati Stugardiensis, SIMONII de partu gemello, *concreto, mortuo, puerpera salua praefixa,* observationes existant.

PRAEIVDICIVM IV.

quo

multi Medici, Matheſin arti ſalutari vix
vllam conſerue vtilitatem, exiſtiant.

PROPOSITIO VII.

§. 25. *Quilibet Medicus, ſolide doctus, plurimas
Matheſeos ſcientias perfecte callere debet.*

DEMONSTRATIO.

In corpore noſtro perpetuo contingunt motus & actiones, vi cordis & circulationis humorum. Corpus iſum conſtat ex ſolidis & fluidis partibus. Docet Anatomē (α). Mechanica vero vires ſolidorum eorumque motus varios, viribus congruos, oſtendit. Et Hydroſtatica aequē, ac Hydraulica, circa leges fluidorum verſatur. Medicus ergo Mechanics, Hydroſtatices & Hydraulicae peritus ſit, neceſſe eſt (β). In corpore humano, deinceps aeris effectus quotidie ferre occurruunt (γ). Quum autem Aerometria doctrinam aeris valde illuſtraret, Medicus & hanc cognoscere debet. Quantum Optica vſum in Physiologia praefet, cuius clarum eſt (δ). In Physica porro adfectiones globi noſtri terr-aquei deprehenduntur. Sed Geographia Mathematica docet ſcientiam telluris, quatenus ſecundum adfectiones suas demonstrabilis. Relinquitur ergo, quemcumque Medicum e posteriori, ad priorem rite intelligendam, fundamenrum petere debere. Iam vero Geographia Mathematica canones Astro-nomicos, Geometricos, Arithmeticos certissime ſupponit, neque illa ſine hiſ explicari plane poteſt. Patet igitur propositio. Q.e.d.

COROL.

(α) D. D. KVLMVS Tab. Anat. III.

(β) Vid. D. D. BOERHAAVE Inſtit. Med. §. 40. 41.

(γ) BOERH. c. I. §. 3. 746—753.

(δ) Demonſtrauit Theorema hocce D. D. SCHREIBER in Elem. Med. Phys. Ma- them. Prolegom. §. 365.

COROLLARIVM.

§ 26. His Medicus subsidiis ex Matheſi deſtitutus , ſolide doctus non eſt , neque phaenomena morborum recte reſoluere vallet.

SCHOLION.

§. 27. Plures adhuc Math: ſeos partes, v. g. Trigonometriam, Catoptricam, Dioptricam, Perspectivam, in primis Algebraam celebrem, Medicum non adornare tantum , ſed quam maxime utiles ipſi etiam eſſe, demonſtrari eadem ſane metodo (§. 32.) potuifſet. Aſt quum & ſine hiſ propositio iamdum elueat , & breuitas amoena cuiuis intelligenti ſe commendet, facile labor hic ſuperuacaneus eſſet. Si quis prolixiorem exigit adſerti probationem apodicticam, D. D. SCHREIBERVM adeat cit. loc. §. 361 — 372. Quam incongruis & iuſſis buc uisque argumentis aduersarii innitantur, ſingulis, adducta (§. 25.) probe penitentibus, in aprico erit. Optume ſi conſudam, verba Celeberr. IO. BERNOVLLI, quea in carmine gratulatorio , D. D. PAVLL. GODOFR. SIVERTI Diff. Inaug. de morbis a motu humorum circulatorio aucto oriundis, Bas. 1714. habita, adnexo, reperiunda ſunt, mea faciens:

Nunc eat indoctus, doctoque iſ ſuadeat orbi,
Nullam arti Medicæ ferre Matheſin opem:
Scilicet, vt vulpes, caudam, quea amiferat, illa
Ne pudibunda foret, ſyrmate ſola carens.
Veftrum, ait, o ſociae deponite inutile membrum!
Aſt abiit falſis exagitata iocis.

ARCHIATRO SVMMO GLORIA!

COROL-

COROLLARIA.

- I. Omne animal in fluido viuit & viuere debet. Comprobat Antlia.
- II. Ea in arte salutari scimus, quae mathematice demonstrare possumus. Cetera coniecturae.
- III. Homo ad generationem impos, exsepto liene ad tempus fit aptus ad eamdem. Conf. BOERH. *Inst. Med.* §. 327.
- IV. Imperfectus Medicus est perfectus homicida.
- V. Aurum potabile aliaque vniuersalia, specioso titulo superbientia remedia, non tam in salutem hominum, quam lucri potius caussa inuenta sunt.
- VI. Arsenicalia medicamenta, Medicastris contra febres hodie visitata, communiter hydrope m prouocant & insignem hominum stragem edunt: seposita tamen omni conscientia, libere distribuuntur.



ULB Halle
002 178 486

3



sb

V D 18



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



Farbkarte #13

3
24
1732, 1.
Q. D. B. V.
SCHEDIASMA
DE
QVIBVS DAM
RAEIVDICIIS MEDICIS,
PRAESIDE,
IOANNE ADAMO KVLMO,
D. EIVSD. VT ET PHIL. NAT. PROF. PVBL. ORD. NEQUE
MINVS ACAD. IMPER. NAT. CVRIOS. SODAL.
FAVTORE, PRAECEPTORE,
INTIMO PECTORE COLENDO,
DEFENDET AVCTOR,
VLL. HENR. GERARD. MOEHRING, Jev. Frido,
PHIL. ET MED. CVLT.
GEDANI,
IN AVDITORIO ORDINARIO
A, MDCCXXXII, D. XXI. MART. HORA IX.



AERE SCHREIBERIANO.